…ex.: Dicta universae Philosophiae rationalis.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0005138

DICTA

Vniuersæ Philosophiæ rationalis.

AB

ALEXANDRO JOANNE JASTKOWSKI, Philosoph: Audit.

Pro Renouatione Studiorum æstiua, in Alma Academia Zamoscensi publicè ad disputandum proposita.

SVB PRÆSIDIO

Admodum Rndi & Excellentiss: Dni,


M. NICOLAI CZARNOSZ,

Ordinarij Phil: Profess. Canonici Zamoscen.

Anno Dni, M. DC. XLI, 25. Calend: Iul.



CRACOV. In Offic: Valeriani Piątkowski.





Quæ Samoſcanum tres clarant Stemma Sariſſæ;
Virtutis Sarię ſymbola magna tenent.
Patris Auiq́; duę, quæ ſpectant cuſpide Olympum,
Vexerunt Patriam, laude ſub aſtra, ſuam.
Tertia fixa ſolo, tantis Maioribus ortus
Prædicit, figet, quanta trophęa ſolo.

ILLVSTRISSIMO ADOLESCENTI,

IOANNI ZAMOYSKI,

PRAEFECTO CAŁVSSIENSI.

Supremi olim Cancellarij

THOMÆ ZAMOYSKI

FILIO.

MAGNI IOANNIS

NEPOTI.

ALEXANDER IOANNES IASTKOWSKI

perpetuam felicitatem.



Dicta Uniuersæ Rationalis Philosophiæ, Tua in Academia dictata, Tibi Illustrissime Dn̄e dico. Dedicant sua quiq; Dynastis grauibus, vt contra iniurias inuidorum, tutelarem suis editionibus conquirant dexteram: at res Logica, ita Tibi addicta est, alteriusq; Patroni impatiens, vt ego eā, non tam Tuam faciam, quàm fatear: Iam enim ad ætatis istius incrementa venisti, quæ Logicæ præceptionibus adeò feliciter imbuitur: vt non laborem in discendo, sed voluptatem experiaris; adeò autem celeriter res innumerabiles ac dif-


ſicilimas concipis, vt non tum primùm accipere videaris, ſed remi-niſci, & recordari. Et licet bono omnium gentium natus, linguis omnium gentium ediſcendis, maximè verò eloquentiæ ſtudio diſtentus es: non ſine tamen ſummo voluptatis ſenſu, iſti quoque Rationali id eſt humanæ Scientiæ, nauas operam, cuius ſatellitio munitus, hominibus non modò præeris, verùm etiam proderis. Tantæ Scientiæ dicta, ex Tua Academia, à Tuo cliente oblata, non minùs Tibi vt ſint grata, quàm accepta, ſupplex precor. Hoc ſi feceris, erit mihi res plane gratiſsima, nec me arbitrabor munus hoc Philoſophicum Tibi obtuliſſe, ſed abs Te munus ampliſsimum accepiſſe. Vale Illuſtriſsime Domine, creſce Eccleſiæ, Patriæ, Ampliſsimæ Domui, Tibi, literis, mihi. Dat: Zamoſci 25 Calend: Iulij.

Illuſtriſsimæ Celſitudinis Tuæ

obſequentiſsimus,

Alexander Ioannes Iaſtkowſki.

Cum



I.

CVm homo sit ζῶον λογικὸν, ab ortu primigenio, præditus est Logicâ naturali, cuius ministerio verum à falso secernit, quæ dubio procùl vsq; eo sufficiens esset, ad quæuis obiecta scientificè percipienda, nulla vt arte egeremus, nisi vetitum illud malum, ratiocinandi bono, magna ex parte, intellectum nostrum priuasset; reparauit tamen istius mali ruinas, Logica artificialis, quæ multa solertissimorum virorum indagatione inuenta, ad acquisitionem aliarum Scientiarum omnium, simpliciter & absolutè humanum genus prouexit.

II.

Potest illa dici Ars, accepto artis nomine in sensu lato, sed in stricto, nequaquam, immò ne-

que facultas, si eam accipiamus adæquatè, neq; Intelligentia, multò minùs aurem est sapientia. Satis illa dignitatis & excellentiæ habet, cum tam Docens quàm vtens Scientia realis possit nūcupari, eaq; non theorica sed practica.

III.

Vano conatu in assignando illius attributionis obiecto, nonnulli desudarunt, quorum alij Res omnes, alij Voces, alij Entia rationis, alij Tres operationes Intellectus dirigibiles, alij Operationem vt sic, alij Syllogismum, alij Instrumentum siue modum sciendi, illi adæquarunt: cum illa prout est ab Aristotele tradita, (tradita autem est sufficenter) Argumentationē, quatenùs est quoddam genus ad varios inferendi modos, sibi pro Obiecto vendicet.

IV.

Principia illa Argumentationis incomplexa præcipua, quæ in atrributione versantur, alia sunt Æquiuoca, alia Vniuoca, alia Analoga. Aequiuoca subiectis homonymis attribuuntur, intellige illis, quæ vulgò æquiuoca æquiuocata

appellantur, nomenq́; duntaxat habent commune, ad illud verò nomen rationem ſubſtantiæ accomodatam omninò diuerſam. Vniuoca de ſubiectis ſynonimis dici poſſunt, id eſt illis, quæ vniuocorum vniuocatorum nomen ſortiuntur, ac in Schola Peripatetica ita definiuntur: Quorum & nomen eſt commune, & ad illud nomen eadem ratio ſubſtantiæ. Analoga ab Ariſtotele nomine homonymorum cōprehenſa ſunt, ac proinde nullam peculiarem ſummi ingenij explanationem obtinuerunt, ex ſuperioribus perſpicitur illa eſſe, quæ ſubiectis analogis analogatis attribui poſſunt, quorum & ipſum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ, neq́; omninò eadem, prout eſt in vniuocis Vniuocatis, neq́; omninò diuerſa, prout eſt in æquiuocis æquiuocatis, ſed partim eadem, partim diuerſa.

V.

Subiecta Analoga in duplici ſunt differentia, alia Attributionis, alia Proportionalitatis; hæc nomen

men Analogans habent cõmune, rationem verò substantiæ per nomen significatam, partim eandem, per quandam proportionem vnius proportionis cum altera, partim diuersam; illis nomen analogans commune quoque est, sed ratio substantiæ per illud nomen significata, partim eadem, partim diuersa, idq́; secundùm varias habitudines, ad certum aliquod significatum. Porrò ratio illa substantiæ, per nomen commune significata, pluribus analogatis non modò inest per extrinsecam denominationem ab Analogo principali, verùm etiam in illis intrinsecè inuenitur.

VI.

Vniuoca sunt àttributa, Voces quinque Vniuersales, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens, inter quas haudquaquam numerandum est Indiuiduum, quòd illud per se nulli attribuatur, & per accidens tantùm dicatur de seipso: fundamentum tamen omnium Categorematum meritò dicendum est, quo diruto,

ruto, reliquum prædicandi ruet ædificium.

VII.

Voces prædictæ habent quid cõmune, quòd non ſint Ideæ Platonicæ, neq́; nudæ voces, neq́; ſoli conceptus, neq́; Entia rationis, ſed vnum quid aptum ineſſe multis, & prædicari de illis; quòd formaliter acceptæ conſtituantur nõ per conſiderationem illius ordinis, quem habent ad multa, ſed per abſtractionem naturæ ab illis multis; quòd actu ſubiectis, de quibus aptæ ſunt prædicari, coñiunctæ, amittant ſuam vniuerſalitatem quoad rem, licet retineant illam quo ad modum, vnde etiam inde concludi nõ poteſt, in prædicatione actualis vocis, Vniuerſalis, eſſe nudam Vocem, cum etiam ſit natura, ex vniuerſali facta ſingularis.

VIII.

Speciatim conſideratæ voces eædem, ſpeciales naturas ſortiuntur; ac imprimis quidem Genus (vt à Logico accipi ſolet, omiſsis alijs ſignificationibus homonymis) eſt vnum quid ap-

 tum

tum inesse pluribus specie differentibus in quæstione Quid est. Id diuiditur in generalissimum & subalternum: generalissimum dicitur, quod cùm sit genus, non est species, vel quo non potest esse aliud superius genus: subalternum, quod cum sit genus est & species; vel, Quo potest esse superius genus.

IX.

Species est vnum quid, quod aptum est inesse pluribus, & prædicari de illis in quæstione Quid res sit; per hoc vltimum adiunctum, differt à Genere, quod nequaquam prædicatur in quæstione Quid res sit, sed tantùm Quid sit. Quemadmodum Genus, ita & hæc bifariam diuiditur, in specialissimam & subalternã. specialisſima definitur; Quæ, cum sit species nõ est genus: vel Quæ, cum sit species, in species diuidi nequit: vel Quæ pluribus numero differentibus, attribuitur. Similiter, sicut genus in vna specie, ita & species in vno Indiuiduo, si cætera impossibilia, sint non potest conseruari.

Diffe-

X.

Differentia illa quæ per se & maximè propriè dicitur; est vnum quid, quod aptum est inesse pluribus, & prædicari de illis in Quæstione quâ quæritur Quale quid sit essentiale. Proprium illius est, vt specifica appelletur, & faciat aliud, & tam in generum diuisionibus, quàm in specierum definitionibus ponatur, & neq́; intensionis, neq́; remissionis mutationem suscipere possit.

XI.

Nō illud propriū, quod soli, nō omni, cōuenit; nec illud, ꝙd omni, non soli; nec illud, quod omni, & soli, sed aliquando, constituunt quartum prædicabile: sed illud, quod omni, soli, ac semper, recteq́; sic definitur; Est Vnum quid quod aptum est inesse multis, & prædicari de illis in Quæstione, qua quæritur quale quid sit Accidentale, omnibus, solis, ac semper conueniens. Commune illud habet id cum Differentia quod conuertibiliter suo cum subiecto reciprocetur.

XII.

Accidens est, Vnum quid, quod aptum est inesse multis, & prædicari de illis, potestq́; adesse & abesse præter subiecti corruptionem. Hoc constituitur vniuersale, non comparatione suorum inferiorum, quibus essentialiter conuenit, sed subiectorum, quæ denominat.

XIII.

Genus Species, & Indiuiduum, decem rerum classes constituunt, in quibus singulis, indiuidua suæ speciei, species suo generi, & omnia Vni generalissimo subijciuntur, ijsq́; vocabulis significantur; Substantia, Quantitas, Qualitas, Relata, Vbi, Quando, situm esse, Habere, Agere, Pati. Harum vna est categoria substantiæ, reliquæ sunt Accidentium, ad quas omnes distinguendas, non est diuisio in rigore sumenda, sed sufficiet rationis rationatæ.

XIV.

Ea quæ directè in Categorijs locum habent, significant Vnum conceptum, exprimũtur iuxta mo-

ta modum accomodatum ſuis naturis, ſunt Entia completa, ſimpliciter finita, aliquo modo realia, Vnius eſſentiæ; quarum defectu conditionum, fruſtra aliqui conantur hic reponere nonnulla, quales ſunt E. g. differentiæ ſpecificæ, aut genericæ, quæ licet à parte rei, idem ſint cum genere aut ſpecie; tamen Metaphyſicè loquendo, non concipiuntur, ſub ratione alicuius completi, ſed ſub ratione incompletorum, & habent ſe per modum formarum adiacentium, ſpeciemq; qualificantium; quales ſunt E. g. Partes integrantes alicuius totius, ſiue homogenei, quatenùs ſub ratione partium conſiderantur; qualis eſt. E. g. DEVS Op: Max. vt DEVS eſt, vel Chriſtus Dominus, qui præter naturam humanam, dicit perſonam VERBI infinitam.

XV.

Subſtantia inter Categorias meritò principem habet locum, quæ in communi accepta eſt Ens non exiſtens in alio tanquam in ſubiecto. Diuiditur in primam & ſecundam: illa, eſt Ens

prædicamentale, quod nec de ſubiecto aliquo dicitur, neq; in ſubiecto aliquò eſt; hæc, eſt Ens prædicamentale, quod de ſubiecto dicitur, ſed in ſubiecto non eſt. Genus iſtius Prædicamenti generaliſſimum, nequaquam eſt Ens, ſed ſubſtantia completa & finita.

XVI.

Accidentia duobus modis conſiderari poſſunt,, vel ſeiuncta à ſubiecto, vel prout connotant ſubiectum, vtrouis autem modo ſpectentur, ad eandem categoriam referuntur, vnde eadem eſt categoria quantitatis & quanti, qualitatis & qualis, relationis & relatorum.

XVII.

Eſſe Quantitatis, conſiſtit in extenſione partium in ordine ad ſe, vnde benè ſic definitur; Eſt Accidens in ſe & ex ſe extenſum. Non ergò Philoſophicè illi locuti ſunt, qui rationem formalem Quantitatis vel in diuiſibilitate, vel in menſurabilitate, vel in extenſione ad löcum poſuerunt.

XVIII.

Qualitas prout concipitur auulsa á subiecto, definiri potest, per concretum sic; Est Accidens secundum quod denominamur quales. Quæ definitio datur per effectum formalem secundarium, qui est, facere res quales, non autem per primarium. Species qualitatis quatuor schola Peripateticorum agnoscit: Habitum & Dispositionem: Potentiam & Impotentiam, Passionem & Patibilem qualitatem: Formam & Figuram: Respectu quarum specierum Qualitas vt sic, est Genus generalissimum.

XIX.

Impotentià quatenùs constituit speciem Qualitatis non accipitur pro sola negatione alicuius potentiæ sed pro aliquo positiuo, habente adnexam carentiam alicuius potentiæ opposi tæ, vel totaliter acceptæ, vel alicuius gradus ipsi us.

XX

Relata quæ à Græcis τὰ πρός τι, appellantur,

tur, sunt; quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid, aliquo modo se habere. Vt aliqua mutuò se respiciant opus est fundamento & termino, à quibus tamen respectus ille distinguetur intentionaliter, non verò realiter aut modaliter; opus est inquam, quia nisi vtrumq́; extremum in rerum natura ponatur actu, relatio quoq́; non denominabit actu.

XXI.

Non est dubium eodem fundamento manẽte, si multiplicentur termini, multiplicari quoque ipsas Relationes inadæquatè, esseq́; realiter inter se distinctas: non est etiam dubium Relationem posse præscindi tanquam realem conceptum à fundamento & termino, sed non esse distinctam Entitatem.

XXII.

Actio est secundum quam agens in id quod subijcitur, agere dicitur: diuiditur in actionem specialiter acceptam & effectionem: quarum illa non relinquit post se opus aliquod, hæc post se o-

se opus relinquit. Rursus diuiditur in immanẽtem & transeuntem: Illa est, quæ non transit in externam materiam; hæc est quæ ab agente in externam materiam transit. Præterea, alia est simplex emanatio sine motu, alia est cum motu.

XXIII.

Passio est secundum quam subiectum ab agẽte dicitur pati. Quemadmodum enim actio est in agente ita Passio est in patiente, quod agentis actum suscipit.

XXIV.

Vbi est secundum quod res dicitur esse in loco extrinseco, vel in spatio loci. Id nihil habet contrarium, nec suscipit mutationem intensionis & remissionis, maximè autem proprium eius est, explicare, quo loco res sit.

XXV.

Quando est, secundum quod res dicitur esse in tempore. Et quoniam Tempus est ratio formalis, àqua sumitur denominatio huius Prædicamenti, ideo reponi debet, illud in hoc Prædi-

camento. Differt autem Tempus ab Æuo vt res diuidua & fluens, à re indiuidua, & permanente.

XXVI.

Situs est, dispositio partium corporis in loco, secundum quam aliquis, stare, sedere, iacere dicitur. Multùm inter situm & vbi interest, non secus ac inter Figuram & Quantitatem. Ac licet situs sit Modus quidam vbi, quia tamen distinctum habet modum rem denominandi, idcircò meritò pertinet ad distinctum Prædicamētum.

XXVII.

Habitus est vocabulum homonymum, quod modo sumitur pro specie quadam qualitatis, modò pro relatione seu respectu quodam, modò pro vna ex decem Cetegorijs; in hac postrema significatione. Habitus definitur p Corporū & eorum quæ circa corpus sunt adiacentiam.

XXVIII.

Categorijs accidunt, Oppositio, esse prius, vel posterius, vel simul, motus, & habere.

Oppo-

Oppoſitionis quatuor ſunt genera, relatio, contrarietas, priuatio, & habitus, contradictio.

XXIX.

Duæ ſunt partes Orationis Nomen & Verbum, reliquæ à Grammaticis enumeratæ, magis ſunt ad complementum qùam neceſſitatem, & ſub nomine & verbo continentur. Voces articulatæ & artificiales, ἀμέσως ſignificant animi conceptus, & per hos ſignificantur res ipſæ, quatenùs illi conceptus ſunt rerum imagines & ſimulacra. Neq́; verò ex natura, ſed ex placito Inuentorum ſignificationes ſuas ſortiuntur.

XXX.

Nomen, aliud eſt rectũ, quod propriè dicitur nomen, aliud eſt caſus nominis: Illud coniunctum cum verbo Eſt, Erat, Erit, ſignificat verum vel falſum, hoc verò nequaquam: Similiter verbum, aliud eſt quod proprie dicitur verbum, aliud eſt caſus verbi. Nam præter verbum, quod eſt temporis præſentis in modo Indicatiuo, reliqua per inflexionẽ deducta caſus verbi appellãtur. Vt Eg. diſputabat, diſputauit &c.

XXXI.

Principium Argumentationis complexum immediatum, est Enuntiatio, quæ in communi accepta, est Oratio verum vel falsum significans.

XXXII.

Diuiditur secundum materiam, in necessariã, quæ non potest non esse vera, in Impossibilem, quæ non potest non esse falsa, in contingentem, quæ potest esse vera vel falsa. Secundum substantiam, in simplicem vel categoricam, quæ aliquod vnum de aliquo enunciat: In coniunctam vel hypotheticam, quæ habet plures categoricas, partes principales sui, mediante aliquo aduerbio, vel coniunctione coniunctas. Secundùm qualitatem, in Affirmatiuã, in qua coniungitur prædicatum subiecto, in Negatiuam, in qua separatur prædicatũ à subiecto. Secundùm Quantitatem, in Vniuersalẽ cuius subiectũ est terminus cõmunis cũ signo vniuersali sumptus; in particularem, cuius subièctum est terminus communis cum signo particulari sumptus; In inde-

indefinitam, cuius ſubiectum eſt terminus communis, ſine aliquo ſigno; in ſingularem, cuius ſubiectum eſt terminus ſingularis ex impoſitione aut ex demonſtratione.

XXXIII.

Certum eſt Vocalem, & ſcriptam Enunciationem eſſe compoſitas, quod ex diuerſis vocibus ſignificatiuis illæ coaleſcant, Subiecto, Copulâ & Prædicato, aut certè ex multis alijs Enunciationibus coniunctione aliqua munitis. An autem mentalis ſit vna ſimplex Qualitas? problema eſto.

XXXIV.

Ad veritatem Enunciationis ſingularis affirmatiuæ, non requiritur, vt ſubiectum & attributum ſint idem realiter; requiritur autem vt ſubiectum & prædicatum pro eodem ſupponant, & accipiantur: ſi enim pro diuerſis ſupponantur & accipiantur, enunciatio erit falſa. Porrò ad veritatem enunciationis ſingularis negatiuæ requiritur vt ſubiectum & attri

tum ſupponant, & accipiantur prò diuerſis aliquo modo diſtinctis: vel vt ſubiectum pro nullo ſupponat.

XXXV.

Ad veritatem vniuerſalis affirmatiuæ cum ſigno pro omnbus diſtribuente, non requiritur vt ſubiectum & attributum ſint idem realiter; requiritur autem vt prædicatum ſupponat, eiq; cõueniat, pro quibus ſupponit, & conuenit ſubiectum; deinde vt quælibet eius ſingularis ſit vera.

XXXVI

Ad veritatem Enunciationis affirmatiuæ de futuro, requiritur, vt prædicatum aliquando verè affirmetur de illo, pro quo ſupponit prædicatum hinc ſingularibus Enuntiationibus de futuro contingenti determinatè ineſt veritas vel falſitas. Præſcientia DEI nullam ijs neceſſitatem imponit: non enim quia videt ideò eueniunt, ſed quia eueniunt, ideò ſic videt, videt autem Deus ſic res contingentes euenire; quia ſic eius voluntas prædeterminauit.

Non

XXXVII.

Non ôportet Enuntiationem esse veram pro illo instanti, in quo causatur eius conceptus in audiente, sed pro illo instanti vel tempore, quod significatur per verbum copulans extrema.

XXXVIII.

Passio Enuntiationum est triplex; Oppositio, æquipollentia, Conuersio. Oppositio strictè sumpta, est repugnantia inter duas propositiones eiusdem omninò subiecti & eiusdem prædicati, quarum altera est affirmatiua, altera negatiua. æquipollentia est duarum Enuntiationum categoricarum, idem subiectum idemque prædicatum habentium formalis æquiualentia. Conuersio est subiecti in prædicatum mutatio.

XXXIX.

Quæ passiones Enuntiationibus de inesse côn ueniunt, eædem etiam & Modalibus, quarum quatuor sunt genera ex necessario, ex contingēti, ex possibili, & ex impossibili.

Argu-

XL.

Argumentationis quatuor ſunt ſpecies Inductio, Enthymema, Exemplum, & ſyllogiſmus. Quæ interſe non ſunt eſſentialiter diſtinctæ, ſed tantùm accidentaliter.

XLI.

Syllogiſmus præcipua ſpecies Argumentationis, eſt Oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam diuerſum, ab his quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eo quod hæc ſint. Eius eſſentia conſtat præmiſſis & concluſione, vnde concluſio non incommode dici poteſt forma ſyllogiſmi & Præmiſſarum, cuius effectus formalis eſt, quem tribuit præmiſſis, Eſſe illatum.

XLII.

Tres tantùm ſunt figuræ Syllogiſmorum, Quarta quæ Galeno adſcribitur inepta eſt ad Logicam naturalem perficiendam.

XLIII.

Syllogiſmus ratione Conſequentiæ conſideratus duplex eſt Perfectus & Imperfectus. Prior

eſt il-

est ille cuius consequentia nõ eget aliquo, vt appareat necessaria. Ne verò erres, intellige dici à nobis imperfectum Syllogismum, non quantùm ad eius perfectionem essentialem, quà ratione quilibet Syllogismus est perfectus, alioquin Syllogismus non esset nisi æquiuoce, sed quantùm ad euidentiam, ac imperfectus, quantùm ad perfectionem accidentariam.

XLIV.

Licet in nulla figura ex puris negatiuis, nec ex puris particularibus, indefinitis, aut singularibus fiat Syllogismus: In quibusdam tamen casibus ex vna negatiua potest sequi de forma alia negatiua; quando antecedens & consequens vtrumq; terminum participant.

XLV.

Præmissis in debita qualitate, & quantitate dispositis, semper sequitur conclusio, dummodò à non vniuersaliter, ad vniuersaliter, siue à non distributo, ad distributum non fiat argumentatio.

XLVI.

Syllogiſmorũ poteſtates ſunt; Plures cõcluſiones ex vno Syllogiſmo in ferre: cõcludere verũ ex falſis: Circulariter probare: concludere conuerſiuè: Per impoſſibile argumentari. Syllogiſare ex oppoſitis: Imbecillitates autem ſunt Petitio principij; Falſum propter hoc non accidere: Ratiocinatio falſa: Deceptio ex opinione.

XLVII.

Ratione conſequentis Syllogiſmus conſideratus trifariam diuiditur, in Demonſtrationem, Syllogiſmum topicum, & Sophiſma: quæ diuiſio eſt totius in partes ſubiectiuas.

XLVIII.

Demõſtratio eſt Syllogiſmus faciens ſcire, quæ definitio non modò conuenit Demonſtrationi illi quæ per cauſam cognoſcit effectum Verùm etiam illi, quæ pro medio aſſumit effectum, vt ex ipſo inferat cauſam. Licet enim effectus non ſit cauſa rei, eſt tamen cauſa cognoſcendi.

XLIX.

Antequam Demonſtrationem facias, tria tibi

ſunt

ſunt præcognoſcenda, Maius extremum, Minus extremum, & Præmiſſæ. De Maiori extremo ſolam præcognoſces ſignificationem, de Minori & ſignificationem & exiſtentiam, de Præmiſſis vnicam veritatem. Ac licet rarius contingat habere conſiderationem de prædictis tempore antecedentem ipſam Demonſtrationem in ipſo tamen actu Demonſtrationis intellectus de illis aliquid cognoſcit.

L.

Præmiſſæ Demonſtrationis debent eſſe veræ, nec ſufficit vt apprehendantur veræ, ſi in re ipſa non ſint veræ: veræ autem erunt, ſi fuerint immediatæ, ſi dignitates aut poſitiones, ſi progrediantur ex notioribus & prioribus naturâ; vno Verbo ad Demonſtrationem Propter quid requiruntur Premiſſæ tales, quæ ſint indemonſtrabiles Demonſtratione τȣ̃ διότι.

LI.

Demonſtrationis effectus eſt Scire, quod non eſt Reminiſci, ſed cauſam cognoſcere, propter

quam res est illius causam esse, & fieri non posse, vt res aliter se habeat.

LII.

Scientia est duplex; Habitualis & Actualis; hæc est quidam a ctus intellectus iudicatiuus, de connexione necessaria prædicati conclusionis cum subiecto eiusdem, ob eam quam habet à medio depèndentiam; illa est virtus quædam inclinans intellectum ad actum sciendi, quæ etiam est in eo qui feriatur.

LIII.

Certitudo est de essentia Scientiæ a ctualis, euidentia verò necessariæ connexionis prædicati cum subiecto in conclusione ob medium terminum positum in præmissis, non est necessaria ad scientiam in communi spectatam.

LIV.

Actus scientiæ non potest vno eodemq; tempore simul consistere cum actu erroris, de vno eodemq; obiecto. Iam verò de vno eodemq; obiecto, in eodem intellectu possunt esse diuersi

actus,

actus Opinionis nimirùm per medium probabilę, & scientiæ per medium necessàriò connexum; modò per illos actus diuersos non expendatur veritas opinionis aut necessitas prout illa conclusio in se spectatur, sed solùm expendatur, quid ex tali medio probabili aut necessario sequatur, opinione an scientia?

LV.

An Scientia totalis habitualis sit vna simplex qualitas, an verò aggregatum quiddam? Problema esto.

LVI.

Illæ Scientiæ subalternantur alijs scientijs, quæ essentialiter seu in esse scientiæ, dependent ab alijs, ita vt nisi dependeant ab illis, nullo modò possint esse scientiæ.

LVII.

Practica Scientia est, cuius finis est operatio, theorica illa, cuius finis est contemplatio veritatis. Hæ differentiæ duæ scientiarum non desumuntur ex fine, quem sibi quisq; arbitratu suo proponit, sed ex eo, ad quem scientia, suopte

ingeni-

ingenio, dirigitur.

LVIII.

Ignorantia opponitur ſcientiæ Demonſtratiuæ, illa præſertim quæ dicitur prauæ diſpoſitionis, ſiue illa contingat ob malam terminorum diſpoſitionem, in modo certo & figura Syllogiſtica, ſiue etiam medius terminus male accipiatur, vel etiam extraneus ſit, aut alterius coordinationis.

LIX.

Quæſtionum ſcibilium quatuor ſunt genera; An ſit? Quid ſit? Quod ſit? Cur ſit? An ſit quæſtio, terminatur per hoc, quod euidenter res cognoſcitur; Quid ſit, terminatur per hoc quòd, euidenter cognoſcitur propoſitio, in qua definitio de definito prædicatur; Quod ſit, terminatur quando dubitabilis propoſitio per ſe, ſecundo modo euidenter cognoſcitur, in qua ſcilicet paſſio de ſubiecto prædicatur; Propter quid, ſiue Quare, per experientiam, & notitiam intuitiuam terminatur, quandoq; per demonſtrationem à poſteriori, ſiue per effectum.

LX

LX.

Syllogiſmus tôpicus ille dicitur, qui ex propoſitionib9 probabilibus concludit. Probabilia verò ſunt illa, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel maxime ſapientibus.

LXI.

Syllogiſmus topicus nunquam peccat in materia, nec in Forma; quia ſi altero iſtorum modorum peccaret, non eſſet Syllogiſmus topicus, ſed Sophiſma.

LXII

Locus intrinſecus eſt, quando terminus inferens & illatus de ſe inuicem conuerſim verificantur: Ex trinſecus eſt, quando terminus inferens, & terminus illatus, nullo modo conueniunt: medius eſt, quando terminus inferens, & terminus illatus, partim conueniunt, partim differunt.

LXIII.

Syllogiſmus ſophiſticus eſt argumentatio apparens, & non exiſtens, aut exiſtens, ſed non conueniens rei. Apparens eſt, quando peccat in forma: Non conueniens rei eſt, quando peccat

in mate-

in materia, quod fit, quando altera Præmissarum, vel ambæ sunt falsæ.

Laus Deo, & Augustissimæ eius Matri Virgini Philosophantium Magistræ, ac Dominæ.

